



## **Svmma Juris Canonici**

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,  
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,  
pertinent

Ivrisdictione Ecclesiasticâ, & Iudiciis

**Strein, Johann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1658**

§. 2. Satisfit Dubiis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61847](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61847)

tant, sed ipse reus & actor comparere debet. Eius generis censetur causa criminalis criminaliter intentata, quamvis excusationem absentia suae transmittere ad Iudicem ipsis permittatur. *Vlp. in l. servum quoque de Procur.*

X. Iuramentum calumniae actori, & reo commune est. Renuens actor causa cadit; reus vero pro confesso habetur. *c. ult. de iuram. cal.* Quid contineat, haece versibus continetur.

*Illud iuretur, quod lis sibi iusta videtur,  
Et si quaretur, verum non inficietur,  
Nil promittetur, nec falsa probatio detur,  
Vt lis iraderetur, dilatio nulla peretur.*

Si tamen ex probabili causa omissum fuerit, non nocebit processui, & iudicio. Idque Camerae Spirensis maximè praxis docet, teste *Ca. ill. l. 1. obs. 84. n. 3.*

§. 2.

*Satisfit Dubiis de accusatione.*

**D**ub. 1. An unquam teneatur aliquis accusare?

*Dominicus Bannez. q. 68. ar. 1. sex conclusiones format. Prima est, accusare aliquem in iudicio licitum est: 2. accusatio aliquando est licita, & non in praeepto. 3. Filialis, quotiescunque potest licite accusare tenetur ex praeepto accusare. 4. Non solum tenetur civis particularis accusare crimina, quae immediate laedunt bonum publicum, sed etiam illa, quae fiunt contra privatas personas, quae redundant in malum publicum, & per punitionem pro- videtur bono publico. 5. si accusatio ne-*

cessaria sit ad defensionem alicuius innocentis, tenetur homo accusare, protestando tamen, si fuerit clericus, quod non intendit punitionem malefactoris, sed defensionem innocentis. 6. Multis titulis potest contingere, ut aliquis teneatur accusare, *Primus* est propter bonum Reip. quia patitur damnum ex eo, quod aliquis particularis patitur injuriam. 2. ut homo non sit prodigus, & sine causa permittat perire censum suum, aut honorem: 3. est, ex charitate propria sui ipsius, ut si homo timeat sibi ipsi, ne sine honore, & divitiis facile incidat in peccata mortalia. Idem dicendum, si habeat familiam, quam debet alere, & quomodo libet habeat censum, aut honorem obligatum aliis. *Ita Bannez.* maiore conatu, quam fructu. Supposito igitur, sermonem esse de accusatione proprie dicta.

R. Absolutè loquendo, nemo unquam accusare alios tenetur. *Ratio*, quae non potest fingi casus, ubi relicta accusatione propria dicta, alia media non sufficiant. Vel enim agendum est civiliter, vel criminaliter, si civiliter, hoc est, in nostram utilitatem, possumus cedere juri nostro, & remittere debitum: si criminaliter, loco accusationis adhiberi potest querela, vel denunciatio. Cum enim haec, ut *Bannez* fatetur, ab accusatione accidentaliter tantum differat, iudici sufficienter aperit viam ad cognoscendum, puniendum, vel etiam providendum. Unicus casus est, quem ex *soto Cardinali Lugo dif. 8. sect. 1.* obiicit, si damnum aliquod communitati imminet, cui statim occurrendum sit, nec tempus inquirendi superpetat. Iudici verum non video, cur hic accusationem requiramus. Idem enim & forte facilius.

Facilius per denunciationem verbalem, perageretur. Quid enim fingi potest, accusatione proponendum, quod denunciatione non fiat? *Sotol. 5. de iust. q. 5. Navar. in c. si peccaver. 2. q. 1. Manual. c. 25. n. 31. Sanch. l. 6. Conf. c. 1. d. 26. Regim. l. 24. c. 7. n. 114. Laym. l. 3. tr. 6. c. 3. n. 6. Az. III. l. 13. c. 19. q. 4.*

Dub. 2. Vtrum accusationi præmittenda sit fraterna correctio, secundum illud *Matth. 18. si peccaverit in te frater tuus.*

R. 1. Non est opus, per se loquendo, accusationi, vel denunciationi fraternam correctionem præmittere. *Ratio.* Manifestare alterius delictum iudici eo fine, ut iustitiæ satisfiat, per se licitum est, ergo fieri potest absque alterius adminiculo. *Confirmatur.* Syndicus, aliique officiales nunquam adhibent fraternam correctionem, sed promiscuè & absolute deferunt ad magistratum, quæ comperita habent, quod manifestum signum est absolute loquendo non esse necessariò præmittendam fraternam correctionem.

R. 2. Quando ipse est correctionem à fratre admittendam esse, rem verò mihi debitam non restituendam, præmittere correctionem potero, & nihilominus illum accusare. *Ratio* quia correctio fraterna neque debitum restituendi, neque ius exigendi tollit. Ergò qui rem meam detinet, quamvis correctus, restituere tenetur, & si cunctetur, per iudicè compelli potest. *Valent. q. 10. p. 3. Az. III. l. 13. c. 19. q. 3. Roderic. II. q. 6. Nav. c. 24. n. 12. Suar. de Char. disp. 8. sect. 4. Bannez. 2. d. 9. q. 33. c. 9. 68. ar. 1. Silv. v. accusatio n. 3. Tubiena n. 3. Navar. c. Inter verba. Concl. 6. n. 171.]*

Dub. 3. An quando non speratur alia utilitas, quam supplicium rei, & hac intentione fiat accusatio, necessarium

sit præcedere correctionem fraternam?

Affirmat *Rodrig. II. q. 8. ar. 7.* Si enim ad eam minimè teneri fateamur, contra charitatem aliquid moliri necessario affirmare debemus, quæ omnia media ad salutem spiritualem proximi necessaria tentanda proclamant. Et ius Canonicum ex Evangelio docet hanc veritatem, præcipiens, ne pœna excommunicationis, nisi contumax feriat. Idem prolixè inculcat *Bannez. q. 68. ar. 1.* sed nihil officit oppositæ sententiæ, quæ probabilior, non peccare, qui ommissa correctione fraterna sola rei punitionem accusando intendit. Etenim talis accusatio est iustitiæ actus, in eum finem susceptus, ut satisfiat iustitiæ: esto alia in aliis non existat utilitas, quod tamen moraliter vix possibile est, quia vel absterrentur à vitiiis mali, vel in amore virtutis confirmantur boni. Vnde sequitur eiusmodi accusationem bonam, & licitam esse.

Illud concedi potest, (nec plus à Roderico probatur) aliquando melius, & perfectius fore, si ex charitate præmittatur correctio, quia consiliorum quoque observatio cordi nobis esse debet: ne eum infidelibus, in imo gradu operationum constituti, filiorum Dei mercede, & hæreditate privemur. *Matth. c. 5. v. 46 & seq.*

Dub. 4. An aliqui immunes sint, ut accusari non possint?

R. Iure veteri i. accusari non possunt legati, præsides, magistratus populi Romani, & alii, qui honore, aut ministerio publico funguntur. *l. Hos accusare 12. Tit. de accus. intellige, quamdiu in dignitate*



rate, & officio publico manent. Deferendum est enim publico magistratui propter sublimitatem honoris. 2. semel absoluti non sunt de crimine eodem ab eodem actore conveniendi, vel etiam ab alio, nisi hic dolorem suum prosequatur, doceatque ignorasse se, ab alio prius institutam fuisse accusationem, aut illum prævaricatum esse. l. si cui §. iisdem. tit. h. r.

3. Neque absentes accusari possunt, & multò minus damnari. *L. absentem C. de accusat.* Excipe: nisi crimen admissum pecuniariam poenam, aut æstimationem requirat. Denique immunes facit ætas puerilis, & mentis error. *L. infans tit. ad l. Cornel. l. Divus de off. præsidis.* Minores autem 20. annis accusari possunt, quando puberes, aut pubertati proximi deliquerunt, ita ut doli capaces fuerint. *L. auxilium §. in delictu. tit. de minoribus. C. c. fin. de sentent. excomm. v. Dambaud. in pract. c. 24. Decian. l. 3. c. 38. Tholos. l. 32. synt. c. 15. Maran. de ord. iudic. par. 6. s. sexta p. 139.*

Dub. 5. An monachus Abbatem suum accusare possit?

R. Posse, ut communiter DD. apud *Barb. in c. ex parte de accusat.* Quamvis enim in monachis appellatio prohibita sit, non tamen defensio, & reclamatio ad comitia generalia, præsidem, aut visitatores. *Roder. 17. T. 6. c. 6.* Nec opus est ab ipso abbate, vel alio superiore ad id licentiam petere, quia iure conceditur *in c. cit.* Rationem *Gloss. dat.* quia monachus agens abbatem censetur utilitatem monasterii procurare. Quod expensas aut net, monasteriū suppeditare debet. Quod d limitati: nisi accusans habeat peccatiu m. 2. nisi sit ex ordine mendicantiū.

3. si non ob monasterii, sed propriam utilitatem accuset, de vindicatione, quam correctione sollicitior.

DICES. *Conc. Tr. Sess. 25. c. 4.* præcipit, ne ulli religiosi ex suis conventibus recedant etiã prætextu ad superiores suos accedendi. *R. Navar. in c. Non dicatis. n. 12.* sine iusta, & rationabili causa non licere, aliàs permitti, & eiusmodi conatum esse quasi appellationem, de qua Congregatio Cardinalium decrevit gradatim faciendam esse v. g. à Guardiano ad Provincialem, ab hoc ad Generalem, à Generali ad Protectorem, denique ad sacram Congregationem. *Rodrig. 19. l. cit. Az. 1. l. 12. c. 11. q. 8. Sanch. l. 6. Conf. c. 12. Barb. in c. ad nostram. de appell.*

Dub. 6. An & quomodo Clericis permissa sit accusatio?

Non permitti omnimodè diximus, *S. præc. n. 8.* led in sua suorumque defensione tantum, idque multis, & iustissimis causis, ait *Diaz. in Pract. sua c. 99.* Denigratur enim ex hoc sacerdotalis candor, cuiusque puritas plurimùm cõraminatur. *c. huius à quib. 23. q. 8.* ubi de criminalibus agitur. Qui verò contrarium faciunt, & accusant laicos, irregularitatem contrahunt. Imò nec testimonium illis ferre licet coram laico Iudice, nisi cum episcopi consensu, & in causis civilibus tantùm. *Testimon. 17. q. 1. Barb. in Prætermis. ad c. Clerici. de postul.* Possunt nihilominus etiam in criminalibus, & apud sæcularem Iudicem accusare, si quando crimè morte dignum est, protestati fuerint, ut nõ ad mortem, aut mutilationem procedatur, de quo extat Bonifacii Papæ Constitutio, quæ est *2. in T. de hom. l. 6. quam multè annotat. illustrat Ber. Diaz. l. ci. Fil. Tr. 19. c. 9. n. 146.*

Ob eandem causam superius allegatam Clericis prohibitum est in secularibus iudiciis exercere munus advocati, procuratoris, & tabellionis. *Postulasti. de homin. c. ex literis de excess. pralato. c. al. quanto. c. si quis post acceptum. dist. 51 Barb. in Praemiss. c. Clerici. de postulando.* Excipe Primo, si clericus pauper sit. Tunc enim in utroque foro, & pro qualibet civili causa postulare potest. *Secundo*, coniunctos clericis, & personas miserabiles, quibus patrocinari permittitur. *Tercio*, licet illis domi conquirere & conscribere rationes, quæ deinde in iudicio proponantur. *Barb. in c. Cum sacerdotibus. de postulando.*

Dixi protestationem necessariam esse, quod non debet extendi ad iudicia Ecclesiastica. In his enim Clerico non est necessarium protestari, sed permittitur agere simpliciter, modò causa civilis sit, & civiliter agatur. Præterea notat *Gaill. l. 1. de pare. publ. c. 8.* Clericos immediatè Imperio subiectos, cuiusmodi sunt episcopi, in Camera Spirensi a Civè, & passivè admitti in causa etiam criminali fractæ pacis: eos verò clericos, qui non sunt immediatè subiecti Imperio, ob fractam pacem civiliter pro bonorum restitutione in eadem Camera agere posse, modò in libello supplicis pro citatione, vel mandato de restituendo damno non concludant ad pœnam damni: alias in pœnam Canonicam, & irregularitatem incidet. *Barb. in c. Cum Macon. de accusat. abb. in c. 1. n. 17. de iure calum. Barb. in c. Testimonium n. 9. r. v. infra Tit. xv. §. 15.*

Dub. 7. Quid iuris sit de Reconventione?

Reconventionem, seu reaccusationem vocant, quando accusatus excipit contra

accusatorem obiciendo crimen simile aut dissimile illi, de quo accusatus, & conventus est. Appellatur etiam retorsio & mutua petitio, de quibus in *l. 2. Decretalium T. 4. loquitur.* De illa igitur notatu digna sunt, quæ sequuntur.

*Primo.* Reconventio fieri potest ante & post contestationem litis. *Geminian. Consil. 139. Felin. in c. 1. de mut. petit. Secundo,* Coram Iudice delegato quoque; imò aliàs incompetente. *Socin. Reg. 1. Reconventio. Tertio,* locum habet in omnibus causis nullo iure prohibitis. *Tusch. Con. 61. Quarto,* in causis criminalibus criminaliter intentatis non permittitur, nisi suam, suorumque causam actor persequatur, vel nisi crimen obiciendum maius sit eo, quod accusator urget. *Maranta Par. 4 §. Sexta. n. 39. Quinto,* utramque causam conventionis scilicet, & reconventionis Iudex simul expedire debet, nisi quid obstat. *Gemin. Consil. 139. Sexto* denique, si actor respondere nolit ad libellum reconventionis, non teneatur reus ad ipsius libellum respondere, & puniri à Iudice pœnâ arbitrariâ poterit. *v. Marantam prolixè dist. 6. Vallens. l. 2. T. 4. Tusch. cit. Lesl. l. 2. c. 29. Dub. 6. Laym. l. 3. Tr. 5. c. 1. n. 2. Clarus §. fin. q. 2. n. 4.*

Dub. 8. An semper forum rei sequi actor debeat.

In causis civilibus generaliter receptum esse, ut actor forum rei sequatur: *DD. apud Barb. in c. Cum sit generale de iudic. magno numero tradunt,* si quis illorum verò in nullo eventu aliter fieri posse cœtulit, non sequemur. Fallit enim citata regula *Primo* in privilegiatis. Studiosi in matriculam relati conveniunt eos, à quibus

quibus laesi sunt apud rectorem suum, ut ex statutis academicarum, praxi, & constitutione Frider. Imper. manifestum est, de quo *V. Pacianum in const. cit. C. Ne filius pro patre. Secundo*, in clericis, quando per laicos turbantur in bonis a se possessis. Tunc enim rei coram Ecclesiastico iudice conveniuntur. *Alex. l. 5. Conf. 103. Fallit tertio* in multitudine causarum individuarum eiusdem generis, quæ omnes ab uno, eodemque iudice cognosci possunt, ne continentia causæ dividatur. Sic in Camera Scitenti observari testatur *Mynsingerus* in causa comitum Hanovienſium contra incolos diversorum pagorum obtinentium bona in distructu pagi Hangenbrenheim, ubi erant amplius, quam 60. rei & diversarum iurisdictionum, quorum omnium mediatus superior fuit Imperator: & quia omnes eiusdem generis erant, & ad eundem finem agebatur, omnes, & singuli ad supremum iudicii tribunal citati fuerunt, illorumque declinatoriis exceptis omnibus reiectis cognitio facta est. Ita *Mynsinger. Cent. 1. obs. 4. Theol. 49. synag. c. 1. Card. Tuschus V. actor, Concl. 222. Armilla in V. Forus.*

Dub. 9. Vtrum accusator cessare possit, & inchoatam accusationem desistere?

R. Posse primo, quando animadvertit se innocentem prolequi: imò in tali eventu tenetur cessare iure divino & naturali. *Quod tibi non vis fieri. &c.*

Secundo. Si ex charitate, & misericordia velit condonare iniuriam iuxta consilium Christi *Matth. 5 v. 44. Diligite inimicos vestros.*

Tertio. Si supremus iudex accusationem aboleverit. *Regin. l. 24 c. 7. n. 133.*

Alias quando de crimine criminaliter instituta accusatio est, & lis contestata, non licet abrumpere, nisi cum iudicis consensu, qui sæpè non poterit consentire, ne reip. noceat, cuius multum interest maleficia puniri. *Decian. l. 7. c. 44.*

Excipe, nisi reus, & actor transegerit, etiam post inchoatum processum quod de pœna sanguinis agitur. Licetum namque rec est, quocumque modo redimere sanguinem suum, & similiter accusatori ad evitandam pœnam talionis. Ineidet tamen in *Turpilianum lib. 48.* cuius pœna est pecuniaria, scilicet quinque librarum auri quando delictum est publicum. Quando autem privatum, pœna extraordinaria locum habet. *V. Vurmser. l. 2. tit. 22. Obs. 1. cui pœnam, merito contradicit Decianus l. 7. c. 44. Bart. in l. quæstrum ad Turpil. Sylvest. V. accusatio n. 6. V. Vesenbec. l. 2. tit. 15. n. 5. V. qua diximus in par. 2. tit. 6. §. 3. n. 3.*

Dub. 10. Quomodo accusatio iniusta reddatur?

R. Iniustam reddi tribus modis. Calumniæ, prævaricatione, & tergiversatione. Calumniari est aliquem scienter falso accusare. Prævaricari, abscondere vera, & producere falsa. Tergiversari, redire retrò, & accusationem derelinquere. Pro pleniore intelligentia notentur sequentia puncta.

I. Quicumque alium scienter falso nullis iudiciis existentibus accusat, mortaliter peccat, teneturque ad omnium damnorum compensationem: Olim quoque talionis pœnæ obnoxius erat,

erat, cui hodie succedit arbitraria. Idem dicendum de eo, qui accusat de crimine quod quia solus ipse novit, probare in iudicio non potest. *fin. de calum. Tuschus V. calumnia concl. 9. 10. Roder. IV. tit. 6. c. 8.*

II. Ignorantia inculcata facit, ut falso accusans à gravi peccato excusetur: nihilominus ad restitutionem omnium quæ damnatus amisit, obligatur. Ex pe expensas in lite factas, & quæ inde damna proveniunt. Ratio est, quia falsus accusator per ignorantiam, neque ex rebus condemnati, ut suppono, quietam possidet. *Roder. l. cit. non potest intervenire facti ignorantiam ex S. Thom. 2. 2. milla dicit n. 5.*

III. Qui in causa criminali pactum inquit delerendi, & non prosequendi accusationem institutam, si inde alicui tertio, vel reip. damnum emergat, lethaliter peccat; teneturque restituere quæ transgressus est ordinem iustitiæ.

VI. Non peccat iudex, etiam inferior, si postquam notavit defectum aliquem, inceptam accusationem abrumpt. Sicut enim non tenetur admittere suspectam, ita protendere non tenetur defectuosam. *Calet. q. 68. ar. 3. & ibid. Aragon.*

V. Quæ de falso accusatore dicta sunt, extendi debent ad eos, qui mandant accusationem falsam, consulunt, aut cooperantur efficaciter. Cuncti enim non secus, atque ipse accusator damnorum inde provenientium causa sunt. Quemadmodum in Tractatu de restitut. Theologi communiter docent; *Ar. III. l. 13. c. 19. dub. 7. Liff. 6. 13. dub. 2. & 4. Maranta p. 6. Filius tract. 3. c. 3. Silv. v.*

*Consilium num. 9. Tuschus v. accusatio. Concl. 167. Item v. consilium Concl. 762. & 763. Silvest. v. restitut. S. 3. Armilla eod. n. 4. & sequentib. Tabiena V. accusatio n. 5. Cata-neus eod.*

## §. 3.

## De Denunciatione.

I. Denunciatio est manifestatio delicti facta superiori, vel iudici, ut suo munere fungatur, vel providentia ad aliquod damnum corrigendum, vel impediendum. Ex quibus verbis confessio apparet, quo modo ab accusatione differat, sine nimirum, ac modo procedendi, nec non defectu solemnitatis à iure requisitæ ad veram accusationem. *Roder. II. q. 6. diff. rre inter se dicit. i. quia accusatio non potest, nisi per literas fieri, Denunciatio autem potest. c. licet à beato de accusationibus.*

2. Accusationem inscriptio, denunciationem monitio procedit. 3. Accusatio intendit punitionem ordinariæ, & mitius. 4. Accusatio depositionem, denunciationem correctionem inducit. 5. Accusator potest appellare, denunciator non potest nec tenetur verificare suam denunciationem. 6. Quæ denunciatoris finis est, ut mores corrigantur, potest in testem adhiberi, accusator minime. *Ita Roderic. potissimam differentiam agnoscit Laym. l. 3. r. 6. c. 3. quod accusatori incumbit onus probandi, à qua immunis est, denunciator. Moscon. l. 2. de iudiciis par. 1. c. 5. Maranta par. 6. iudicior. tit. de denunciatione n. 2.*

II. Non eod. modo ab omnibus divi-